



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. IX. De feris & similibus domitis ad vehicula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

arationis, boves tantum memorant vel tauros, eqvos nunquam. Neque apud Virgilium aut Scriptorem alium veterem aratorem eqvum memini legisse. Similiter Jureconfulti veteres, ubi fundi enumerant instrumenta, boum & jugalium, nunquam eqvorum nominatim faciunt mentionem. Eadem Græcorum fuit consuetudo. Nusquam certè Pollux loquitur de eqvo ad aratrum. Et omnino eqvos censeo in magno quondam pretio fuisse, ac iccirco adhiberi raro potuisse ad hæc opera. Contra quam videmus hodie per multas Europæ fieri regiones, ubi bobus arare inter notas paupertatis apud agrestes solet numerari. Sed de his occasione alia.

Cap. IX.

De feris & similibus domitis ad vehicula.

Feras ad vehicula quis primus junxerit. Hyginus emendatur. Inter eas usurpati cameli. Salmastii lectio Pliniana comprobatur, & Græca Esaiæ refellitur. Cameli veloces. Iuncti ad aratra quoque. Elephantum in curru Regum ac triumphantium. Plinius, Diodorus expositi, Demosterus notatus. Capitolinus emendatus. Fuerunt etiam in carpentis Augustorum circensibus & quadrigis, item in vehiculis onerariis & aratris. Leones in curru, & quis Romæ primum junxerit. Kados quid. Dalechampius notatur, & Athenæus exponitur. Pardi & tigres in vehiculis. De Servio, ejusque quadam historia suspitio. Item ursi, & apri, & origes, & struthiones, & bubali, & bisontes. Oppianus arguitur & explicatur, itemque Solinus. Tum asini sylvestres, & cervi, & canes, & hirci. Leguntur & hermaphrodita equi & onelaphi in vehiculis. Athenæi locus examinatur.

PRæter domesticas, veteres nonnunquam sive magnificentiæ, sive luxus ostentationisq; causa vehiculis jungebant feras. Estque hoc inventum minimè recens, sed jam ante tempora Trojana notum, quando de Admeto Hyginus fab. 50. *Alcestim Pelei filiam cum complures in conjugium peterent, & Pelias cum multos eorum repudiaret, similitatem his constituit, ei se daturum, qui feras bestias ad currum junxisset: Iis, quum vellet, a veheret. Itaque Admetus ab Apolline petiit, ut se adjuvaret. Apollo cum ab eo esset liberaliter tractatus, cum in servitium fuit ei traditus, aprum & leonem ei junctos tradidit,*

N

quibus

quibus ille *Alcestim in conjugium avexit*. Sic emendo locum hunc, in quo ante fuit; *Is quam vellet*: sine sensu. Cæterum ferarum aliæ accedunt propius ad domesticas animantes, aliæ non item. Ex his, quæ accedunt propius, cameli sunt, & elephanti. De CAMELIS ergo primo loco dicemus. Etsi enim Plinius usurpatos ad vehicula videatur negare, tamen diversum comprobabimus. Verba Plinii sunt lib. VIII. cap. 18. ubi de camelis agit: *Omnes jumentorum ministeriis dorso funguntur, aut vicem equitatus in prælio*. Ita bene locum hunc emendat Clarissimus Salmalius, cum ante legeretur: *Omnes iumentorum in iis terris dorso funguntur, atque etiam equitantur in præliis*; absq; sensu. Dicit Plinius, fungi jumentorum ministeriis dorso, non cervice vel collo, quod huic esse oppositum, supra notabamus, usurpariq; de iis, quæ sarcinas onerave gestant; & fungi talibus ministeriis *omnes*. Unde constat, Plinium camelos jugales aut vehicularios ignorasse. Memoravit tamen eos etiam ex Prophetis Esaias cap. XXI. v. 7. Nam, ut auctor est Clarissimus Bochartus, intelligendus ibi *currus, quem cameli vehunt*, teste Symmacho, non ἀναβάτης καμήλου, sicut vertunt Græci, vel *ascensor cameli*, sicut redderunt Latini, cæteri q; interpretes. Nec res fuit tam rara vel insolita per Orientem. Nam & Strabo lib. XV. ubi loquitur de elephantis: Νεάρχῳ Φισί, μέγιστόν τε νομίζεσθαι ἡνίκα ἐλεφάντων ἄρμα. Ἄγχι δὲ ὑπὸ ζυγῶν καὶ καμήλων. Vertunt: *Scribit Nearchus, quod maxima possessio existimetur elephantis bigæ, duci enim sub iugo, ut camelos*. Sed vertendum est: *Duci verò etiam sub iugo camelos*. Ostendit Nearchus, non elephantos modò per Indiam vehiculis adjungi, sed & camelos, idq; ibi solens esse, licet alibi non faciant. Usurpavit tamen Ptolemæus Philadelphus etiam in pompa sua, quæ descripta extat apud Athenæum lib. V. Memorantur enim ibi συναγίδες καμήλων ἐξ ἐκατέρω μέρους τρεῖς: *utrinque bigæ tres camelorum*. Ex Romanis idem fecit Nero, de quo Sveton. cap. II. *Commisit etiam camelorum quadrigas*. Ubi tamen vox, *commisit*, docet, non simpliciter traxisse tantum, sed certasse cursu quoque in Circo. Atq; est non contemnenda nonnullorum ex ipsis velocitas, ut Plinius lib. VIII. cap. 18. testatur. Igitur & de Sagaræis Ælianus lib. XII. cap. 34. Hist. Anim.

Σαγαραίοι τῆ Ἀθηνᾶ καμήλων ἄρωνα ὅσα ἔτι σὺν αἰδοὶ τῆ τῆς θεῆ ἐπιλεῖσι. Γένουσαι ἡ
 ἄρα παρ' αὐτοῖς αὐταὶ δρομικώταται τε ἄμα καὶ ὤκισται. *Sagarenfes quotannis
 summa aduersus Minervam obseruantia ei celebrant camelorum cer-
 tamen. Enimverò velocissimi apud ipsos procreantur.* Neronem imi-
 tatus est Heliogabalus, simia ipsius. Nam Lampridius de eo cap. 23.
*Dicitur iunxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo privato spe-
 ctaculo.* Quaterni cameli sunt, quos quadrigas camelorum Sueto-
 nius appellavit. Cameli ad postremum aliquando quoque serviebant
 aratro. Leo sanè Africanus affirmat, Numidas vulgo terram exer-
 cere equo & camelo. Ut autem camelorum usus fuerit non pla-
 ne nullus in vehiculis, tamen longè major fuit elephantorum. Atque
 primum quidem Reges ipsi ELEPHANTOS in curru suo apud Indos
 habuere. Curtius lib. VIII. cap. 9. *Rex breviora itinera equo conficit,
 longior ubi expeditio est, elephantum vehunt currum, & tantarum belua-
 rum corpora tota contegunt auro.* Secuti postea exemplum hoc &
 Reges alii. Sic in pompa Regis Syriæ Antiochi habes apud Athe-
 næum lib. V. cap. 5. *ἐλεφάντων ἄρμα, currum elephantorum.* Et in alia
 pompa Ptolemæi Philadelphi apud eundem paulò post Calixenus
 Rhodius commemorat *ἐλεφάντων ἄρματα εἰκοσίοσαρα, elephantorum
 currus viginti quatuor.* Apud Romanos ornabant currus trium-
 phantium, fuitque primus Pompejus, qui hoc instituit. Plin. lib. VIII.
 cap. 2. *Romæ iuncti elephantum primum subiere currum Pompeji Magni
 Africano triumpho, quod prius India victa triumphante Libero patre
 memoratur.* Plinii sententia, nisi fallor, ea est, Liberum seu Bac-
 chum primum triumphasse iunctis ad vehiculum elephantis. Atque
 ita Demsterus ad Rossini X. *Bacchus de Indis de victis triumphaturus
 quatuor elephantos iugo summisit.* Laudat deinde auctorem Diodo-
 rum Siculum lib. IV. At ille nihil de vehiculo, nec de elephantis
 quatuor, tantum egisse *πρῶτον τῶν ἀπάντων ἐγράμμεν ἐπ' ἐλεφάντων Ἰνδῶν,
 primum omnium triumphum super elephanto Indico testatur.* Quæ
 verba volunt, vectum elephanto ipso, cui nimirum insidebat. Itaque
 non bene Demsterus, ac ne Plinius quidem, nisi alios secutus sit
 auctores, quam quos Diodorus. Post Pompejum elephantos ad
 currum triumphalem iunxisse Cajum Cæsarem scribit idem Dem-
 sterus,

sterus, loco supra nominato: *Post hunc* (Pompejum) *Cajus Caesar Gallico Triumpho* junxit. *Sveton. cap. 37.* At illo quidem loco nihil tale videas. Sed nec alibi de Cajo memorat, quod de Gallis triumpharit, adeò nil tradit de ipsius elephantis. Triumphum ejus de Germanis narrat cap. 47. sed nec eo loco ulla mentio elephantorum. Pergit Demsterus, & Claudium quoque junxisse ait in triumphali curru ex ejusdem Svetonii cap. 11. Sed non magis illo loco mentio currus triumphalis. Sermo est de curru in Circensi pompa; sicut postea videbimus. Idem post Claudium nominat Domitium. *Deinde, ait, Domitius Allobrogibus Arvernisque superatis. Svet. in Nerone, cap. 2.* Svetonii eo loco hæc sunt verba: *Cn. Domitius* (atavus Claudii) *in Consulatu Allobrogibus Arvernisque superatis elephantoper provinciam invehctus est.* Nulla mentio hic triumphalis currus, & videri potest non tam vehiculo, cui adjunctus foret elephante, quam elephante ipso vice equi usus. Subdit amplius Demsterus Gordianum. Credo Gordianum tertium innuere. Nam in cæterorum vita, à Capitolino proposita, nihil videas de elephantis: At de hoc sic habet cap. 27. *His litteris in Senatu lectis quadrigæ elephantorum Gordiano decretae sunt, utpote qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.* Hic quadrigas elephantorum accipit Demsterus pro quadrigis triumphalibus, quia sequitur de triumpho. At mihi non videntur ista coherere. Ecce enim, quia Persas vicit, quadrigæ elephantorum decerni tandem ei debuerunt? Non sunt elephanti propriè ac speciètim usitati Persis. Dein quid hoc est? *Quadrigæ elephantorum decretae, ut triumpho Persico triumpharet.* An triumpho Persico triumphare aliter non potuit? Itaque vix credo sic Capitolinum scripsisse. Potius ita hæc legenda censeo: *His litteris in Senatu lectis quadrigæ elephantorum Gordiano decretae sunt, atque, qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.* Quicquid sit, quadrigæ elephantorum Gordiano hic decretae, non ut iis triumpharet, sed ut ex lapide marmoreve formati publico loco honorarentur. Nunquam enim triumphantibus à Senatu legimus decretum, quo animalium genere uterentur in curru: at honores, statuas, bigas, quadrigas decretas invenimus sapissimè. Et sequitur
statim

statim apud Capitolinum, *Mistheo autem quadriga equorum, & triumphalis currus, & titulus huiusmodi*, quæ omnia de statuis intelligenda. Sic itaq; & Gordiano decretæ quadrigæ cum elephantis, sicut loco alio uberius monstrabimus, ubi seorsum de honore hoc agemus. Superest Alexander Severus, de quo clarè Lampridius cap. 57. *Pedes palatium conscendit, quum retrò currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur.* Item Aurelianus, de quo Zonaras tom. III. *Romam reuersus quadrigis elephantorum triumphauit.* Quamquam huius rei mentionem nullam faciat Vopiscus, qui tamen cætera triumphii diligenter executus est. Post currus triumphales, elephantos habemus in carpentis Augustorum, quibus honorabantur in pompa Circensi. Videturq; honor ille primum tributus à Senatu Octauiò. Suetonius in Claudio cap. II. *Avia Livia divinos honores, & in Circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum curavit.* Habes ecce currum Augustæum cum elephantis in circensi pompa. Et ne putes imaginarium fuisse, verum à vivis tractum elephantis, dabo locum Xiphilini, qui sic de eodem, vita Neronis: *Καὶ οἱ ἐλεφάντες οἱ πλεῖστοὶ τῶν Αὐγούστου ἀργυρέων ἀγόντες, ἐς μὲν τὸν ἰσπώδρομον ἰσῆλθον, καὶ μέχρι τῆς τῶν βασιλευσίων ἐδρας ἀφίκοιτο.* Et elephantis, qui traherent currum Augusti in Circum ingressi eo usque, ubi Senatores sedent, processerunt. Trahunt & procedunt hic elephantis iuncti ad Augusti eum currum. Factum porro hoc imperio Neronis, unde liquet, diu eam consuetudinem mansisse. Post Augusti currum hunc, inuenio & Claudii, itemq; Vespasiani, similes Augustæo, in antiquis nummis. Nam Scriptores temporum illorum, quantum scio, memorare omiserunt. Pertinacis tantum legimus apud dictum Xiphilinum, ubi de Severo: *Προσέταξεν χρυσὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐφ' ἀργυρῶν ἐλεφάντων ἐς τὸν ἰσπώδρομον ἐσάγειν.* *Iussit statuam eius auream curru elephantorum in Circum vehi.* Cæterum hæc consuetudo monstrandi magnorum virorum imagines vectas curru elephantorum in solenni pompa etiam Græcis Macedonibusve fuit usitata. Athenæus sanè scribit lib. V. cap. 8. ubi pompam Ptolemæi ex Calixeno commemorat: *Καὶ ἐπὶ πᾶσιν Ἀλεξάνδρου, ἐς ἐφ' ἀργυρῶν ἐλεφάντων ἀθηναίων ἐφέρετο χρυσεὺς Νίκην καὶ Ἀθηνᾶν ἐξ ἐκατέρου μέρους ἔχων.* *Præter hæc cuncta*

*Alexandri, qui aureus in curru veris elephantis iuncto ferebatur, Victo-
ria & Pallade eius utrumque latus claudentibus. Apud Romanos ha-
bitus honor iste etiam Imperatricibus. Sic aviæ Livix in circensi
pompa currum elephantorum decrevit Claudius, ut jam supra ex Sve-
tonio vidimus. Agrippinæ, Faustinae aliarumq; currus similes cer-
nuntur in antiquis nummis. Amplius junxisse observamus ele-
phantos ad vehicula, quibus certabant in Circo. Quamquam igno-
rem, an hoc quisquam fecerit, præter unicum Heliogabalum.
Lampridius de eo, cap. 23. Fertur & elephantorum quatuor quadri-
gas in Vaticano agitasse. Id agitasse monstrat, fuisse ludicrum istud
instar certaminis curulis in Circo, quamquam Heliogabalus non in
Circo, sed in Vaticano agitaverit. At vehiculis aliis, quibus porta-
bantur onera, junxisse innuit & Seneca, quando inquit lib. II. de ira,
cap. 31. Aspice elephantorum jugo colla submissa. Indis hoc vulgatum
fuit. Plinius lib. VI. cap. 19. de Indis loquens diversis: Vnum super
hec est genus, venandi elephantis domandique; iis arant, iis invehun-
tur. Quamquam illud invehuntur possit accipi de non curru vectis,
verum ipsi elephanto insidentibus, quare nihil fuit apud eos usita-
tius. Interim & alterum in usu habuisse, vix est dubium. Sanè fa-
ciunt id hodieque, atque memorat Acofta, junctos ad tormenta
ænea, quorum in militia esse usus solet. Neque forsan alio respexit
Strabo, quando ait lib. XV. de Indis: Μέγιστον τε νομίζουσιν ἐλεφάντων ἀρμα-
φνοῖ. Maxima possessio putatur elephantorum currus. Item, ὑπὸ ζυγῶν
ἀγείουσιν φνοῖ. Ajunt duci sub jugo. Atque ad hunc modum de Adriano
Spartianus: Colossum stantem atque suspensum per Detrianum archi-
tectum, & de eo loco, in quo nunc templum urbis est ingenti molimine,
ita, ut operi etiam elephantis quatuor & viginti exhiberet. Postremo
& aratris adjunguntur. Plinius lib. VI. cap. 19. ubi de ipsis agit: iis
arant, iis invehuntur, hec maximè noverere pecuaria. Item lib. VIII.
cap. 1. Indis arant minores, quos appellant nothos. Solinus cap. 65. Ele-
phantos venantur, quibus perdomitis ad mansuetudinem aut arant,
aut vehuntur. Ad vehicula veteribus adhibiti etiam LEONES. Pri-
mus, qui hoc Romæ fecit, M. Antonius memoratur. Plinius lib.
VIII. cap. 16. Iugo subdidit eos, (leones) primusque Romæ ad currum
junxit*

junxit M. Antonius, & quidem civili bello cum dimicatum esset in Pharsalicis campis. Quando Plinius primum eum vocat, qui sic junxerit leones, plures postea fecisse ostendit. Primum enim est respectu plurium, qui sequuntur. Quamquam memoria paucorum superfit. De uno legimus Heliogabalo, apud Lampridium: *Iunxit sibi & leones*. Alias & in pompa Ptolemæi mentio leonum in vehiculis. Ita enim habet Athenæus loco antea laudato: *Post hos prodierunt leonum duodecim bigæ*. Ita vertit Dalechampius. At in Græco est συναρίδες κώλων δεκάδους, nulla mentio leonum. κώλ enim animal est Scythicum, album, inter cervum & arietem. Strabo lib. VII. Εστὶ τῶν τετραπόδων ὁ καλεῖται κώλ & μεῖζον ἐλάφου καὶ κριῶ τὸ μέγεθος, λευκός, ὀξύτερος τῶν τετράτων τοῦ δρόμου. *Habent autem animal quadrupes, quod ab iis colos dicitur, magnitudine inter cervum & arietem media, album, cursu quam illa velocius*. Vocat κώλον, quod Straboni κώλον. Helychio existimo κολόν esse. Verba hæc sunt: κολόν, κολυσόν. Μέγαν τεράγον κέρατα ἐπὶ ἔχοντα. Omnino hic κολός, quod reliquis κώλ & vel κώλ, quod liquet, quia dicit fuisse hircos majores, absq; cornibus. Convenit enim magnitudini, quam in eis Strabo notat. Neq; alia est causa, quare in enumeratione diversorum vehiculorum apud Athenæum præcedat, συναρίδες τεράγων ἑξήκοντα, *hircorum bigæ sexaginta*. Nempe quia fuit animal cognatum hircis, ideò adjectum illis est. Legimus & PARDOS in vehiculis, sed rarissimè. Martialis de temporibus Domitiani, quibus visum hoc spectaculum, lib. I.

Pictò quod juga delicata collo

Pardus sustinet, improbaque tygres

Indulgent patientiam flagello, &c.

Habes hic non pardos solum, sed & TYGRES. Qvales nescio, an ad currum junxerit & Cæsar Julius seu potius Augustus. Virgilius profectò de Daphnide V. Ecloga hoc modo:

Daphnis & Armenias curru subjungere tygres

Instituit.

At hoc Servius intelligit de Augusto. *Hoc, inquit, aperte ad Casarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam.* Vult, quantum intelligo, hoc dicere, Augustum sacra Liberi instituisse,

tuisse, atq; ideo dici subjugasse tigres. Nempe tigres in vehiculo sunt Liberi seu Bacchi, sicut loco alio docebo. Verum aliud est *subjungere tigres*, & aliud Bacchum seu Liberum junctis ad vehiculum tigrilibus Romam adducere. Neq; si dicamus Bacchum feras, & in eis tigres domuisse, aliquid efficiemus, cum nec Daphnis isto loco facere fingatur quidquam, quod ad Bacchum pertineat, nec in Cæsare Bacchum intelligere queamus. Ut sit cogitandum, annon sicut alia, sic ejusmodi spectaculum dederit Augustus. Plinius lib. VIII. cap. 17. *Divus Augustus 2. Tuberone, Fabio Maximo, Consulibus, III. Nonas Majas theatri Marcelli dedicatione tigrin primus omnium Romæ ostendit in cavea mansuefactum.* Alias & Helio-gabalus in curru tigres habuit. Lampridius: *Iunxit & tigres, Liberum sese vocans.* URSOS memorat Martialis ante dicto loco istis verbis: -- -- *Freno Libyci domantur urfi.*

Purat Lipsius per urfos Libycos intelligendos esse leones. Nempe Libyam urfos alere non existimat. Sed diversum monstrat Clarissimus Salmasius magni Operis p. 311. quem proinde arbitramur hic sequendum, sicut factum à Clarissimo Gerharo Vossio lib. III. Idol. cap. 52. Freno autem domitos non aliter intelligendum, quam in curru aut vehiculis. Urfis addo APROS; namq; & de his Martialis dicto loco:

Et quantum Calydon tulisse fertur

Paret purpureis aper capistris.

Puto hic capistra intelligi, quibus regunt, qui adjunctos habent in vehiculo. Possunt quidem & capistra esse, quibus ora ipsorum clauduntur, & ducuntur ipsi. Quomodo in cœna Trimalcionis *tres albi sues adducti sunt, capistris & tintinnabulis culti.* Sed tamen non penitus insolitos fuisse in vehiculis, ostendit nummus aliquis Trajani, expressus ab Onuphrio in ludis Circensibus p. 87. qui exhibet vehiculum ab apro & leone tractum, præeunte Hercule cum clava. Meminit & Occo alicujus, sed diversi, ut opinor, à priori. Descriptio illius hæc est in Trajano: *Diana Lucifera curru à leone & apro vecta dextra facem tenet, præeunte Hercule, Deam retrò aspiciente, clavam dextro humero spectante, sine alia inscriptione.* Facit hic Dianam

Dianam in curru, cum in altero Onuphrii sit Victoria, quæ, præter facem in dextra, palmam tenet in sinistra. Sed & ibi est inscriptio, cum hic sit nulla. Unde colligas non difficulter id, quod dixi. Apud Athenæum in pompa Ptolemæi habes quoque bigas Orygum. *Μετὰ τέτοις συνορίδες ὀρύγων ἐπὶ δὲ.* Post hæc bigas septem orygam. Sunt autem oryges ea figura, quæ vulgo monocerotes traduntur. Eadem in pompa leguntur & STRUTHIONES ad vehicula. Ita namque habet: *Στρουθίων συνορίδες ὀκτώ.* Id est: *Struthorum bigas octo.* Major ibi numerus vehiculorum, quæ habebant BUBALOS. *Συνορίδες αἰτ βεβάλων δεκαπέντε,* bigas bubalorum quindecim. Quo loco bubalos debemus intelligere non boves feros, sive uros, verum animal diversum, ex caprearum genere, de quo Maximus Bochartus Part. I. Hist. Animal. lib. III. cap. 22. BISONTEs legimus apud Martialem, isto versu:

Turpes effeda — trahunt bisontes.

Unde simul colligas, non esse usquequaque; verum, quod de iis habet Oppianus, nempe *αμυμακέλον γένεθλον,* indomitum genus existere. Nisi fors accipimus de domandi raritate difficultateque. Quo respectu Plinius quoque lib. VIII. cap. 15. *Gignit Germania insignia bouum ferorum genera jubatos bisontes, &c.* Non intellexit Solinus, itaque de suo sic exposuit cap. 32. *Bisontes frequentissimi, qui boves feris similes, fetosi colla jubis, horridi ultra tauros, pernitate capti assuescere manu nequeunt.* ASINOS SILVESTRES in vehiculis memorat Athenæus in sæpe dicta pompa. *Συνορίδες τέσσαρες ὄνων ἀγρίων.* Bigas quatuor asinorum silvestrium habuit. Hos Latini alias *onagros* nominant, qui cum ipsi quoque aliquibus credantur arte nulla posse domari, hoc exemplo diversum ostendunt. Quamquam vel ipsa vehiculorum aut bigarum hic nominata paucitas ostendat, minimè frequentem fuisse onagrorum subjugationem. Id quod & de subjugatione bisontium, bubalorum, struthionum, orygam, aprorum, tigrorum, pardorum & similibus censendum. CERVOs crebrius adhibuere, memoratque Athenæus in prædicta pompa bigas *ἐλάφων ἐπὶ δὲ,* cervorum septem. Quin imò apud Patrenses solenne fuit, ut virgo sacra Dianæ in festo quodam publico veheretur curru cervis juncto. Pausanias in Achaicis: *Καὶ ἱερὰ μὲν παρθεὶν ὄχειται τελευταία τῆς πομπῆς ἐπὶ ἐλάφων ἑπτά*

τὸ ἀγῶνα ἰζευμένον. *Ultima vehitur virgo sacerdos in pompa curru à cervis tracto.* Nescio, an simile quid observatum apud Gothos fuerit. Regem enim eorum curru cervis juncto vectum legimus apud Vopiscum vita Aureliani. *Fuit, inquit, alius currus, quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum: quo, ut multi memoria tradiderunt, Capitolium Aurelianus in vectus est, ut illic caderet cervos, quos cum eodem curru captos vocasse Iovi Optimo Maximo ferebatur.* An hoc fuerit solenne Gothicis Regibus, sicut Francicis curru bobus juncto vehi, ignoro. Saltem quia Rhenonum, quos nominant Rangiferos, species non multum est diversa, quorum per Septentrionem, unde Gothi oriundi sunt, usus olim fuit longè frequentissimus, in eorum defectu adhibuisse cervos amore patriæ consuetudinis, fortassis non absurdum est putare. Hoc profectò videmus, etiam Aurelianum tali curru vectum. *Quale quid & legimus de Alagabalo seu Heliogabalo. Lampridius cap. 28. Processit in publicum & quatuor cervis junctis ingentibus.* Cervos in vehiculis exhibuit Domitianus quoque, sicut discimus ex Martiale lib. I. ubi spectacula illius describit. Nam post alia sic quoque habet:

Mordent aurea — lupata cervi.

Quod sine dubio de bigis vel quadrigis cervorum intelligendum est. Atque istæ quidem feræ domitæ ad vehicularem usum. Quæ ostendunt abunde, tabulam ab Onuphrio Panvinio exhibitam inde Ludis Circensibus pag. II. non esse à pictoris sculptorisve ingenio confictam penitus, sed ad veritatem rei ipsius bigas leonarum, cervorum, leonum, capreolorum ibi decurrere. Ante cæteras autem omnes biga canum quoque ibi cernitur. Scilicet & CANES jungere vehiculis quandoque consueverunt. Lampridius de Heliogabalo dicto loco: *Canes quaternos ingentes junxit ad currum, & sic est vectatus intra domum regiam, idque privatus in agris suis fecit.* Sepius ostendit hoc fecisse, & cum adhuc privatus esset, & deinde, cum venisset ad imperium. Ait autem sic *vectatum* esse, quod ignoro, an de simplici vectatione tantum debeat intelligi, num potius de ludicra ad metam, qualis esse consueverat in Circo. Nam & ad hanc rem adhibitos aliquando canes legimus. Dio sive Xiphilinus lib.

LXI.

LXI. Cum propter hoc Neronis studium ii, qui equos aiebant, una cum aurigis superbè extollerentur, ac proinde erga Prætores & Consules perquam petulanter se gererent, Aulus Fabricius Prætor uti noluit illis, iusta mercede cum quibusdam certare recusantibus, sed *ἄννας διδάζας ἐδνε ἀρμυαλα, ἀντὶ ἰππῶν ἐστὶ γὰρ*, canes doctos currus agere pro equis introduxit. Patet manifestè, bigas canum ad metam decurrentes in prædicta tabula ex vero esse formatas. Exemplo canum jungere quandoq; Hircos etiam consueverunt. Nam apud Athenæum sæpe dicto loco leguntur *συνωρίδες τράγων ἑξήκοντα*, bigæ hircorum sexaginta. Similia de capris discimus ex Martiale, quando ait lib. I. ep. 52.

Gestari junctis nisi de sinis AEdile capris.

Nec res penitus insolita nostris etiam temporibus: ipsi namq; vidimus nonnunquam capros canesq; in plustellis. Id verò prodigiosum atq; singulare, quod hermaphroditas equas Nero junxerit. Plinius lib. xi. cap. 49. *Ostentabat Nero hermaphroditas subjuges carpento suo equas, in Trevirico Gallie agro repertas, ceu plane visenda res esset, Principem terrarum insidere portentis.* Possunt huc referri onelaphi Ptolemæi, si vera est scriptura Huraldini codicis Athenæi. Nam ubi vulgatus in sæpe dicta pompa exhibet bigas *ἐλάφων ἐπτα*, codex ille aliqve habent *ὄνελάφων ἐπτα*, quod esset genus animalis ex asinis cervisq; mixtum. Quamquam autem forte non omnimodè repugnet procreari tale animal casu quodam, sicut ex vulpecula & cane, item tigride & cane procreantur aliquando, quæ vocantur *ἀλωπευίδες* vel *μειλόγοντες*, ut videre licet apud Gratium, & Ulitii ad eum notis pag. 174. vel sicuti ex asino equaque, qui vocantur muli; sic inventos esse uno tempore tam multos onelaphos, ut potuerint septem bigas conficere vix persuaderi mihi potior, atq; ideò scripturam communem existimo servandam.

Cap. X.

De hominibus ad vehicula junctis.

Homines vehiculis adjuncti. Cathedrarii. Lecticarii. Corpora lecticariorum. Lipsius notatur. Lecticas gestare non semper proprium servorum. Geruli. Κλινοφόροι. Διφοροφόροι. Φορῆς. Φοροφόροι. Traharii. Voverii explicatio Sidonii repudiata. Savaro notatus, & Sidonius correctus.

O 2

Astra